

sunt Judæi: (unde & gloriosissimus Servator incomparabili ardentissimoque correptus Zelo, sacris proculabesse jubebat porticibus, *Mattb. 21. 12.* πωλῶντας τὰς περιστερὰς) De COLUMBIS enim ad sacrificium adhibendis intelligi verba dubium esse poterit nemini, cui Antiquitates Judaicæ sunt notæ: deque ista emtione in loco sacro doctè disseruit Cl. Const. L. Empereur in *Cod. Middotb. c. 2. sect. 3. p. 49. & 50.* & Maimonides de *Instrumentis sanctis c. 7.* cui consentit liber Schekalim *c. 5. sect. 1.*) Et nostrum sive gratiarum sacrificium sive devotarum precum קָרְבָּן suffimentum, DEO acceptum esse nequit, nisi naturam referat columbinam; nisi ἀσπιλῶς & sancta sit oblatio, non poterit amabile tueri nomen קָרְבָּן לַיהוָה *odoris quietis Domini.* Hæc autem Spiritus fructus sunt, *Gal. 5. 19.* qui indicant nos a COLUMBA Sancto Spiritu gratiose gubernari. COLUMBA pullos in scissuris petrae: Spiritus Sanctus fideles in cruento transfixi Servatoris latere ceu firmissima tutelari Sede clementissime reponit. Continuum denique COLUMBA pro cantu ingeminat Gemitum: Spiritus Sanctus, ut divini Spiritus Apostolus *Rom. 8. 26.* eximie plane loquitur, ὑπερεντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν στεναγμοῖς ἀλαλήτοις *interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Neque tamen in semetipso apud semetipsum gemit: omnis quippe humani affectus expers, sed in nobis gemit, dum gemere nos facit. Nec minimi adeo momenti res est, quod doceat nos gemere infirmitatis nostræ misertum στεναγχνιζόμενον istud Spiritus Sancti Numen; insinuat enim nobis inque labilem memoriam revocat, quod miseri in hac עֵבֶר קָדְוָה *perturbationis valle*, uti ex merito appellat propheta, peregrinemur, docens in veram ac quietiorem suspirare patriam, quo quidem amabili desiderio flebiliter קָרְבָּן כֹּנִים הגִּיִּי *Tanquam COLUMBAE gemendo gemimus,* *Es. 59. 1.* cum afflictissimo inque Deum pietate notissimo